Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1589
Quelle:
Copyright:

cet, et a me in *Supplem. Maittair.* atque a *Panzero* in *Annal. Typogr.* variisque aliis una cum ceteris recenſetur. Quidam ex Deſcriptoribus cum *Fabricio* in eo lapſi ſunt, quod *Mathiam Farinatoris de Wyenna* Ord. Carm. autorem Libri ſtatuerint, qui tamen in Praefatione Editionibus praepoſita ſolum ait, ſe hoc Opus *poſt diutinam occultationem* in publicum produxiſſe, et in meliorem formam redegiſſe. Itaque haec Praefatio, tanquam multo recentior, abeſt a Codice noſtro, qui alio etiam ordine, quam quidem *Farinatoris* eſt, decurrit. De vero igitur Autore, qui nomen ſuum ſtudioſe celavit, nihil liquet. *Gallum* fuiſſe ex ejus *Prologo* colligo, et apud Epiſcopum *Lugdun.* egiſſe, unde literis ad *Johannem* Papam *Avenionem* evocatus fuit. Sedit *Johannes* XXII. inter annos 1316—34. Inde ſcriptionis tempus. Fuit *Johannes* oriundus *Cadurco*, et in *Prologo* Libros ſibi Noſter ait etiam proditos fuiſſe latitare *in cathurco*. Ita legit Editio *ſuprac.* ſed Codex noſter *in cathuico*. Quid ſi *Gottvicum* noſtrum deſignaretur? Eo magis, quo praemittitur: *Sed et de quodam monaſterio alemanie quidam mihi libri delati ſunt*. Ceterum nec noſtrum Exemplum Indicibus caret, quamvis minus commodi ſunt, quam quos concinnavit *Farinator*. Tam ad Operis ipſius, quam ad Indicum calcem nihil aliud innuit Rubrica, quam *Librum qui vocatur lumen Anime*.

II. *fol.* 95. p. 2. *Incipit tabula in librum figurarum Fratris Antonii lectoris de ianua fratrum heremitarum ordinis ſancti Auguſtini.* Ne Tabula quidem integra. Potiſſima pars una cum ipſo Opere evulſa eſt. Retuli Opus *Vol.* I. P. 1. *col.* 480. et 491. Hic noto lapſum *Oſſingeri* in *Bibl. Scriptor. Ord.* qui lit. I. *Antonium de Janua*, et lit. R. *Antonium Rampegolum ſive de Janua*, illum Sec. XV. hunc XIV. refert, utrique tamen idem Opus noſtrum tribuit, quod certe Sec. XIV. deſcriptum eſt.

DCLXXVIII.

Codex membraneus ital. Sec. XV. Folior. 137. f. eleganter perſcriptus, coloribus illuſtris, et anno 1721. Bibliothecae Caeſ. additus a F. *Thoma M. Alfani* O. P. de quo ſaepius hoc *Vol.* mentio, quibusdam locis defectus, aliis Librarii aut Compactoris vitio turbatus eſt. Init vero: *Queſta tauola conta i capitoli ſopra il libro degli admaeſtramenti antichi.* Habemus igitur egregium Opus ethicum, quod *Bartholomaeus de S. Concordio Piſanus* O. P. cujus *Summam* non ſemel retulimus, elaboravit Sec. XIV. latine primum titulo *de Documentis Antiquorum*, qua lingua prodiit *Tarviſii* 1601. 8. dein vertit italice, dicavitque Viro nobili *Gerio de Spinis Florentino*, ut habetur in Codice *Gaddiano* CXV. relato a *Bandinio* T. II. *Biblioth. Leop. Laur.* R. 313